



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VI. De proprio, & accidenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

nihilominus differentiam vt sic vnum prædicabile posse quoddammodo constituere, sicut ad numerum quinque prædicabilium oportet: namque necessarium non est, vt tertium prædicabile sit aliter vnum, quam vnitatem solius aggregationis: quod etiam de genere primo prædicabili, non vera, at certe communis antiquorum sententia tradit, vt liquet ex dictis supra tract. primo. Contra primam assertionem obijci potest. Differentia infima, siue specifica hominis v. g. est proprie differentia infima: similiter equina, & quæcunque alia: omnes ergo sunt similes in conceptu differentia infima: hæc ergo ab eis poterit abstrahi: Sed huic argumento, & multis aliis id genus in simili responsum est supra tract. 4. cum esset de ratione communi indiuidui sermo.

49 Posterior difficultas circa prædictam diuisionem differentia in infimam, & subalternam est, an ambæ ad vnum, idemque prædicabile attineant. Abraham de Raconis in sua logica, & quidam alij negant: Nam si genus, inquirunt, & species sunt diuersa prædicabilia, & non vnum, quia genus de pluribus differentibus specie in quid, & species de pluribus differentibus solo numero prædicatur in quid; non est, quapropter differentia infima, & subalterna non sint aliud, & aliud prædicabile, siquidem altera de pluribus specie differentibus in quale quid, & altera de pluribus solo numero differentibus in quale quid prædicatur. Caterum opposita sententia est tanquam verior amplectenda: tum, quia est Porphyrij, & plerorumque Dialecticorum: tum etiam, quia ratio contraria nihil vrget: namque genus incompletè, & species completè prædicatur, idque, vt visum est in loco, ex adducta vtriusque definitione apertè colligitur: quocirca, non est, cur iuxta eam non sint diuersa prædicabilia: ceterum differentia vltima, & subalterna, id commune habent, vt earum alterutra prædicetur incompletè, & velut pars metaphysica; proinde ad idem prædicabile pertinebunt: quod autem altera vltimò, & altera non vltimò prædicatur, nequaquam obest; aliàs genus supremum, & infimum ad diuersa prædicabilia spectarent.

50 At dices ex Arriaga: per differentiam infimam, ac speciei parem, res omnis completè, siue adæquatè differt ab alia, eivè est dissimilis, cum nihil sit, à quo vi illius, ita non dissideat: at per subalternam vna res tantum inadæquatè, & incompletè à quavis alia, cum vi illius tantum disparetur à rebus, quæ non sunt eiusdem secum generis, non vero ab iis, quæ sub eodem, cum ipsa cohibentur genere: Quemadmodum ergo genus, & species sunt duo prædicabilia propter rationem à nobis traditam, ita etiam ambæ differentia, de quibus est questio. Respondeo, vtramque differentiam prædicari incompletè: aliud enim est facere differre, aliud prædicari: nam genus non facit differre, & tamen prædicatur: quocirca, licet differentia infima faciat rem completè differre, non ob id prædicatur complete: Ratio autem, quapropter genus est diuersum prædicabile ab specie iuxta nos, est, quia hæc dicitur in quid complete, illud vero incompletè: istiusmodi verò ratio, neutiquam procedit in differentia infima, & subalterna: non est ergo, quod ambæ non possint reduci ad vnum, idemque prædicabile.



TRACTATUS VI.

De proprio, & accidenti.

CAPVT I.

De Proprio.



PROPRIVM à Porphyrio in præsentiarum capite quarto quadrupliciter diuiditur. Primum est, quod soli alicui speciei conuenit, non tamen omni: vt esse musicum strictè loquendo soli competit homini, non cuiusque tamen. Secundum est, quod omni conuenit, non tamen soli, vt esse bipedem, omnis enim homo suapte natura bipes est, non tamen solus, cum alites etiam eam vendicent proprietatem. Tertium est, quod omni, & soli, non tamen semper congruit: quo pacto se habet ridere respectu hominis. Quartum est, quod omni, soli, & semper congruit, veluti eiusdem hominis intuitu risibile: quocirca in prædictis definitionibus vti syncategorema, soli, supra speciem, ita syncategorema, omni, supra indiuiduum appellat.

Quale proprium ex his quatuor strictè proprium sit, & quartum prædicabile constituat maiori contentione, quam vtilitate decertatur inter auctores. In primis proprium primo modo strictè ratione proprium non esse, & ad quartum prædicabile non spectare mihi est exploratum: quis enim sentiat, proprietatem strictam hominis id esse, quod fere nulli homini conuenit: at proprium primo modo est huiusmodi; siquidem esse summum oratorem, dialecticorum principem, & his similia soli homini, non tamen omni, aut semper conueniunt, cum nemo ferè sit, qui eo peruenire possit, & pauci, qui eo prope accedant. Deinde proprium secundo modo ad quartum prædicabile non spectare, & proprie proprium non esse, ita suadeo: quod homini cum alio commune est, ei strictè proprium non est, cum proprium, & commune opponantur: at esse bipedem homini cum aliis speciebus commune est: Idem de proprio tertio modo dicendum est, quia duo opposita nequeunt esse strictæ proprietates eiusdem rei, cum oppositæ proprietates oppositas, & diuersas essentias omnium consensu postulent: at si proprium tertio modo proprie tale esset, idem oppositæ proprietates suo sibi iure vendicaret: ergo &c. minor, quæ sola videtur egere probamento, hunc in modum probatur: assentiri actu, vt aiunt, secundo omni, & soli intellectui, non tamen semper conuenit: idemque de hoc, quod est dissentiri pariter dicendum est: is ergo conueniendi modus, si ad proprium strictè sumptum sufficit, intellectus vt sic, & quæuis alia essentia oppositas, & repugnantes proprietates sibi vendicabit.

Quare proprium quarto modo solum strictè, tale est, & ad quartum prædicabile spectat: id quod Aristoteles 4. top. expressè docuit: proprium (inquiens) est quod soli inest, & conuersim prædicatur de re, nemo enim proprium dixerit, quod contigerit alij inesse: Ex quibus verbis in hunc modum argumentor: quod conuersim prædicatur de aliquo subiecto, omni, soli, & semper tali subiecto conuenit: at proprium simpliciter, & strictè sumptum con-

uersum prædicatur, siue quod iuxta est, cum subiecto conuertitur. Hanc etiam fuisse mentem Porphyrij simili quodam ostendo: quia in cap. de differentia eam diuidit in communem, propriam, & propriissimam, ibique solam ultimam ad tertium prædicabile de quo agit, spectare censet, vt Conimbricenses hic, & reliqui interpretes eum censuisse tradunt: ergo in cap. de proprio ita illud in quatuor genera diuidit, vt solum ultimum ad proprium quartum prædicabile, de quo agit, reuocasse censeatur, cum Aristotele, ac Porphyrio B. Thom. Caiet. Sotus, Tolet. & plerique alij consentiunt.

4 Quod autem docet Hurtadus, omnia quatuor exigere subiectum, licet ea subiectum è conuerso non exigat, atque adeo omnia, & singula esse strictè propria, & ad hoc prædicabile attinere; hoc inquam non viget: quoniam, vt aliquid sit proprium strictè alicui subiecto, huius potissimè attendi debet exigentia; alioqui gratia esset stricta, ac rigorosa proprietatis voluntatis naturalis, cum hæc eam exigat, tametsi ab ea non exigatur, & similiter vnio, munere cuius vnitur aquæ calor, futura esset aquæ proprietatis vera, & propria: quod quis credat, cum aqua eam vnionem abhorreat, eamque quam primum potest, à se depellat. Quod verò Arriaga solum secundum excludit, & reliqua, quæ soli conueniunt speciei, strictè propria appellat, ex dictis haud ægrè potest confutari.

5 Proprium autem quarto modo sumptum, quartumque prædicabile constituens interdum cum essentia realiter identificatur: id, quod omnes fatentur & constat ex Porphyrio, qui in risibili exemplum huius prædicabilis adhibuit: interdum verò ab essentia realiter distinguitur: qua ratione Aristoteles cap. 4. de sensu, & sensibili primas qualitates, videlicet calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem proprietatis elementorum asseruit: Idem vltius suaderi potest ex numero prædicabilium à Porphyrio tradito: quoniam accidens commune ad prædicabile diuersum pertinet à proprio realiter distincto, cum ad argumentandum, & veritatem colligendam, ad quam prædicabilia præcipue destinantur, longe aliter vtrumque conducatur: eo quod ab illo ad essentiam aut è conuerso argui nequeat: possit verò ab hoc, vt intuenti constabit: proprium ergò ab essentia realiter distinctum ad idem prædicabile, ad quod indistinctum spectat, aliàs prædicabilia plura, quàm quinque forent, videlicet præter tria prima, proprium realiter indistinctum ab essentia, quod omnium consensu quarti prædicabilis est, & proprium ab essentia distinctum, quod hi authores ad diuersum prædicabile à quarto reuocant & accidens commune, quod à proprio realiter distincto distinctum prædicabile constituere iam iam probauimus.

6 Verum inquit contrà: Accidens commune, & proprium ab essentia realiter distinctum ad idem prædicabile spectant: ergò si proprium realiter distinctum ad quartum attinet prædicabile, & accidens commune ad idem attinebit: ac proinde prædicabilia quatuor tantum erunt, quod non minus est absurdum, quam si sex, aut plura essent: consequentia, vna eademque opera proposita est, atque probata: suadetur antecedens: quoniam accidens commune, & proprium realiter distinctum ab essentia in maiori, & minori connexionione cum subiecto solum differunt: hoc non sufficit ad diuersa prædicabilia inuehenda, aliàs proprium ab essentia realiter distinctum, & quod est ab ea indistinctum diuersa forent prædicabilia, quandoquidem eorum connexio cum essentia inæqualis est, & alterum magis, alterum mi-

nus, alterum per identitatem, alterum per vnionem meram cum illa connectitur. Quod argumentum ita confirmabis, & declarabis: hæc prædicatio, *aqua est calida*, & hæc, *aqua est frigida*, in modo prædicandi non dissident, vt videtur sponte sua manifestum: ergo ad idem prædicabile spectant, cum tamen altera sit accidentis communis, & altera propriæ realiter distincti, ac proinde hoc ad quintum, & non ad quartum prædicabile attinebit.

7 Cæterum respondeo, & satis ex facili, accidens commune, & proprium ab essentia realiter distinctum ad diuersum prædicabile spectant ratione maioris & minoris connexionis, quia ea maior, & minor connexio ad arguendam veritatem, quæ prædicabilium, & totius logicæ finis est, diuerso modo conducit: quæ ratio in diuersa connexionione vtriusque proprii, distincti, scilicet, & indistincti, nequaquam procedit, cum ea diuersitas ad arguendum impertinens sit, eodemque modo ex vtroque proprio colligi possit essentia, & è contrariò, videlicet, quia vtrumque cum essentia conuertitur. Confirmatio argumenti, haud est eo magis momentosa: quod enim in illa supponitur esse manifestum, est manifestè falsum: vti namque prædicari vt totam essentiam, vel vt partem essentiae, genus, & speciem in modo prædicandi variant, ita similiter prædicari cum connexionione subiecti cum prædicato, eaque reciproca, & adæquata, siue totali, aut sine illa accidens, & proprium ab essentia distinctum in modo prædicandi poterunt variare: præsertim cum eo faciat ratio in argumenti adducta responsio.

8 Illud autem aduertendum est, vt Porphyriana definitio sustineri possit, ita intelligendam esse, vt proprium essentiae iam completæ, attenta præuia exigentia ipsius, ei soli, omni, & semper conueniat: tum quia rationale omni homini, soli, & semper competit, & tamen proprium non est, eo quod essentia completè minimè superueniat, sed potius eam constituat: tum, quia, si omnis substantia rationalis creata ab initio suæ creationis in gratia confirmaretur, vt aiunt, gratia omnis substantiæ naturali creata, & soli, & semper conueniret: & tamen gratia eius substantiæ rationalis, ac naturalis proprietatis dici non posset, videlicet: quia natura gratiam prius, quam eam recipiat exigere nequit, aut postulare.

9 Alij, & quidem satis expedire, & bene proprium quartum prædicabile definiunt, *quod prædicatur de pluribus in quale per se*. Alij, *quod prædicatur de pluribus in quale necessario*. Alij, *quod in quale conuertibiliter*, subaudi attenta naturali exigentia subiecti, quæ omnes definitiones in eandem recidunt. Cæterum opponens, & aduersus has postremas definitiones proprii, & etiam contra alias accidentis, quibus hoc etiam in quale prædicari, tametsi non necessario, per se, aut conuertibiliter asseremus inferius: tum proprium, tum etiam accidens prædicari in quale quid, & non in quale tantum: Ita enim videtur censuisse Damascenus in dial. 1. cap. 9. in hæc verba *genus & species in eo, quod quid est prædicantur, differentia autem substantialis, & accidentalis, id est accidens, & proprium in eo, quod quale quid est, prædicantur*.

10 Respondeo, si sumantur proprium, & accidens, cuiusmodi sunt v.g. risibile, & album, vt sunt differentiae quædam nominatæ, inuoluere intimè, & formaliter gradum entis, & fortasse alios inferiores ente, genera nimirum aliquæ, atque ita prædicari in quale quid: in quid, quia sic prædicantur ens, & genera inferiora: in quale, propter id, quod eiusmodi rationibus supremis addunt: cæterum ita sumpta non esse

rigo

rigorose proprium, & accidens, sed complexionem quandam horum, nec non graduum, quos contrahunt: Sin autem sumantur magis stricte, & penes occultam illam, & innominatam formalitatem, qua secernuntur à generibus, & ente cunctis superiori; ita quidem haud prædicari in quale quid, sed in quale tantum. Prius illud duntaxat voluit Damascenus, & à nobis latè probandum est in Metaphysica lib. 5. tract. 1. per totum. Posterius verò, quod ad sufficientiam earum, quas tradidimus, definitionum satis, superque est, nec à Damasceno negatum est, nec ab ullo potest negari, nisi iniuria, & absque vlla verisimilitudine.

11 Confirmatur hæc solutio: Quoniam differentia infima, si de notis, ac nominatis sit sermo, sunt totæ species, atque instar harum prædicantur complete, uti tract. præterito cap. penultimo visum est. utque indicat Aristoteles lib. 7. metaph. lect. 12. Si itaque (inquiens) hæc sic se habent; palam, quia differentia finis rei substantia erit, & definitio, & paulo post, quidem igitur differentia differentia fiat, una erit, quæ finalis species, & substantia. At quia differentia infima propriè sumpta, & quatenus nobis ignota, & innominata prædicantur incomplete, idcirco absolute loquendo differentia infima censetur prædicari incomplete, & à speciebus differre suis: Similiter ergo, licet proprium, & accidens prope notitiis, ac nominibus subiant nostris, prædicentur in quale quid; tamen, quoniam aliter usurpata, & prope latent in iis, quæ nobis nota sunt, ac nominata dicuntur tantum in quale, hoc sufficit, ut præcise loquendo ita censeantur enunciar. Hæc de mente Damasceni. Fortasse tamen nomine proprii intellexit, quod à nobis, ac ceteris appellatur differentia propriissima, & nomine accidentis, quod reliqui vocamus, tum proprium, tum etiam accidens: ita verò si res habet, perspicuum est nostris definitionibus eum haud refragari.

CAPVT II.

De Accidenti.

12 **A**ccidens quantum prædicabile definit Porphyrius: quod potest adesse, & abesse, absque subiecti corruptione. Quam definitionem falsam esse, & velut Græculam reiiciendam censent Laurentius Valla lib. 6. elegantiarum cap. 34. & Erasmus Roterodamus in epitome eiusdem operis littera. P. verbo *persona*: Quid tamen hi Grammatistæ censeant, parum est curandum: standumque potius plerorumque auctoritati Philosophorum, quibus communiter ea placet definitio. Eam certe iam olim amplexus est Lucretius Carus, non solum Philosophus, sed etiam cultissimus Poëta, & hac de causa maius fortasse autoritatis pondus apud Erasmum & Vallam habiturus; namque de proprio quod coniunctum & de accidente, quod euentum nominat, sic differit lib. 1. de natura rerum haud multum ab initio:

Coniunctum est id, quod nunquam sine perniciæ
Discedio potis est seungi, seque gregari:
Pondus vii saxi, calor ignibus, liquor aquæ
Tactus corporibus cunctis, in tactu inani.
Seruitium contra, libertas diuitiæque
Pauperitas, bellum, concordia, cetera, quorum

Aduentu manet incolumis natura, abituque:

Hæc soliti sumus, ut par est, euenta vocare.

En & quidem disertissime accidentis à proprio seu coniuncto distinctionem, eiusque prope sic distincti nostram & communem definitionem. Quo autem melius intelligatur, obiciamus aduersus eam primò: mors est accidens animalis: at ei adesse & abesse nequit sine illius corruptione: abesse enim potest sine ea, non tamen adesse, cum ipsa sit formaliter corruptio animalis.

13 Respondeo primò: particulam, &, in ea definitione sumi, non copulatiue, sed disiunctiue: ac vim habere huius particulæ, vel, veluti cum dico, *potest voluntas amare, & odisse, & intellectus assentiri, & dissentiri*, utrobique particula, &, perinde est, atque, vel. Ita autem intellecta definitione Porphyriana nihil habet aduersus eam ponderis obiectio facta. Respondeo secundò: Mors eo modo, quo est accidens, animalis, ei potest abesse, ac tum etiam adesse, quin illud corrumpat, destruatque, adest enim ei, non physice, sed intentionaliter, seu denominatiue, quoniam animal dicitur mori: At intentionaliter non corrumpitur esto ei adsit mors, sed potius ita manet: quid enim euidentius est, quam animal manere in meo intellectu quoties de eo, quod moriatur, affirmo. Quocirca destructio illa, siue corruptio subiecti, de qua est sermo in definitione, non semper est realis, sed intentionalis, seu mentalis aliquando. Qui autem mortem, aut, quod perinde est, calorem mortiferum, ac feralem, non tam animalis, quam materiæ accidentia volunt, haud sunt audiendi: quoniam etiam animali non inhaesit, & physice, at intentionaliter, & denominatiue mors & calor immodicus conueniunt, cum animal mori, & calefcere, atque ardere dicatur, quod satis est, ut eius accidens logicum censeatur, de quo solo, & non de physico, disputamus in præsentiarum.

14 Obiciamus aduersus eandem accidentis definitionem secundò ita. Vel in ea sermo est de separabilitate reali: & sic definitio non conuenit omni definito, cum plura accidentia à suis subiectis absque eorum corruptione realiter separari nequeant, ut in nigredine corui, aut Æthiopis cernere est: Vel sermo est de separabilitate rationis, aut mentali, qua præcindendo ab accidenti concipere possumus integram subiecti essentiam, & sic definitio conuenit alij à definito, nimirum proprio quarto prædicabili: siquidem eo per intellectum circumscripto adhuc concipere possumus integram rei essentiam, ut potè quæ ab eiusmodi proprio saltem ratione distinguitur, eoque est ratione prior.

15 Huic obiectioni Cardinalis Bellarminus lib. de amissione gratiæ capite 3. Toletus, Caietanus, Conimbricenses, & alij, quibus subscribo, communiter respondent, separabilitatem rationis duplicem esse, aliam præcisiuam, qua essentia subiecti præcinditur ab accidenti; & hanc ei cum proprio communem esse: aliam negatiuam, qua videlicet accidens ob exigentiam intrinsecam subiecti cum eo connecti, & conuerti negatur; & hanc ei cum proprio neutiquam esse communem, ut constat ex cap. præterito. De hac autem sola, non de illa accidentis definitionem procedere. Cui autem ea, quæ tradita est, salebrosa videtur, is accidens in hunc modum definiat: *Quod predicatur de pluribus in quale contingenter, seu inconuenienter*, quod proinde est.

16 Missis leuioribus dubiis, hoc solum, in præsentia libet disputare, an ad prædicationem accidentis logici inferiorum actualis requiratur existentia?
Raphaël

Raphaël Auerſa hic quaest. 54. sect. 4. Ioannes de S. Thoma 2. parte log. quaest. 12. Rodericus Arriaga disput. 8. log. sect. 3. partem negantem tuentur. Quorum sententiam probō, rationes improbo; iisque omiſſis, hunc in modum argumentor. Non solum hæc prædicatio, *aqua est calida*, ad acci- dens quintum prædicabile spectat, vt Conimbri- censes, & Fonseca nobis aduersarij existimant; ve- rum etiam hæc, *aqua possibiliter est calida*, seu *calida esse potest*; at ad hanc posteriorem prædica- tionem aquæ existentia non requiritur, quantum- uis sit ad priorem requisita; eo quod hæc posterior sit sempiternæ veritatis, & in ea copula, est, absol- uatur à tempore, cum tamen illa prior opposito modo se habeat: vt igitur acci- dens quintum prædi- cabile de suis prædicetur inferioribus, eorum non postulat existentiam: minor est per se, ac sponte sua manifesta: maior probatur, quoniam non sola aqua possibiliter calida est; & tametsi sola, omnis, & semper eiusmodi esset; non tamen attenta exi- gentia intrinseca subiecti: haud enim aqua possibi- litatem caloris sibi contrarij suapte natura depolcit.

17

Rursus secundo nullo existente subiecto hæ præ- dicationes; si Petrus existat, erit albus; si Paulus existat, erit etiam albus, & similes, essent verissi- mæ: sed eiusmodi prædicationes, quæ desinunt, ad ac- ci- dens quintum prædicabile spectant, cum sint in quale contingenter. Deinde tertio; hæ prædicationes: hoc album est album; illud album est album, ad acci- dens quintum prædicabile pertinent: at verè sunt nullo subiecto existente, vt aduersus Scotum, & alios suo loco probatum manet: ergo, &c. Maior suadetur quia esse album, licet sit essentialiter concreto, quod ei subiicitur concrete sumpto, & secundum id, quod in recto, & obliquo simul importat, tamen ei acci- dentarium est penes id præcisè, quod inuoluit in recto: illæ ergo prædicationes ad acci- dens quintum prædicabile ex parte spectant, quamuis partim etiam attingant ad speciem, aliudve prædicabilium essen- tialium: & sanè, sicut idem respectu diuersorum potest esse acci- dens physicum, & essentia physica, vt in can- dore respectu sui, & parietis cernere datur, non est cur idem respectu diuersorum acci- dens logicum & essentia logica non sit, atque instar vtriusque non prædicetur.

Præterea quarto: mori, & immodice caleſcere de animali, tanquam acci- dens logicum prædicatur: at animalis non postulat existentiam, sed potius eius non existentiam. Tandem quinto: esse cogni- tum, esse ve volitum, vt aiunt, tanquam acci- dentia logica enuntiantur, atque ad quintum attinent prædicabile, cum prædicentur in quale contingen- ter: at, vt proximè prædicari possint, actuque sint vni- uersalia, haud semper postulant rem cognita, & vo- litam existere; imò potius contrarium haud raro; ni- mirum quories futura, vt futura cognoscuntur aut desiderantur.



TRACTATUS VII.

De quinque prædicabilibus res-
pectu Dei.

CAPVT I.

An de Deo, Personisque diuinis aliquod ex
quinque Prædicabilibus dici possit?



XPLICATIS quinque prædicabilibus, restat
explicandum, an eorum aliquod, videlicet ge-
nus, species, differentia, proprium, aut acci- dens dici

possit de Deo, aut aliquo eius prædicato: Sententiam
affirmantem sequor, atque ita suadeo. Substantia est
genus: at de Deo non minus, quàm de creatura dicitur:
ergo, &c. Maior probaturum quia substantia præ-
dicatur de pluribus differentibus specie in quid, hæc
autem est definitio generis: tum etiam, quia sub-
stantia primum, & præcipuum prædicamentum est:
prædicamenta autem nuncupantur ab omnibus pri-
ma decem genera.

Rursus secundo suadet eadem sententia. Rela-
tio vt sic est prædicamentum, & genus: at de di-
uinis relationibus, Paternitate nimirum, Filiatione,
& Spiracione passua propriissime prædicatur. Ad
hæc: ratio personæ vt sic est genus ad creatam, & in-
creatam, cum de iis prædicetur in quid, & ex specie
differant: non enim solo numero dissident, sicut
Petrus, v. g. & Paulus, quandoquidem inter se sunt
verè dissimiles. Eadem ratione conuinci potest, per-
sonam diuinam vt sic, respectu triplicis sibi subie-
ctæ, genus esse.

Accedit autoritas Augustini lib. 5. de Trinit.
cap. 8. vbi docet, *sacram scripturam de Deo loqui
secundum categorias, seu prædicamenta, aliquando
proprie, vt cum spiritus, aut substantia nuncupatur.*
Censet ergo prædicamentum, seu genus substantiæ
de Deo dici posse. Augustino consentit Damascē-
nus in elementis cap. 8. ibi *substantia, qua continet
super substantialiter increatam deitatem, cognosci-
biliter autem continet omnem creaturam generalissi-
mum genus est.* Vbi genus substantiam esse, ac de
Deo dici clarè existimat. Quod autem ex Augu-
stino, & Damasceno dictum est, Deum esse sub
genere generalissimo, seu prædicamento, dictum
puta de prædicamento, non physicè, sed metaphy-
sicè sumpto, vt explicandum est ex professo in Me-
taph. lib. 3. tract. 1.

Speciem etiam prædicabilem in Deo locum ha-
bere suadeo. Quoniam, aut circa idem obiectum
Petrus, v. g. Deo inesse possunt duæ virtualiter
scientiæ visionis omnino similes, altera in sensu
diuiso alterius, aut non? Si primum: ergo ab vtra-
que ratio specifica visionis Petri abstrahi poterit:
siquidem ad speciem, & quoduis aliud vniuersale
inferiora virtualiter, seu ratione ratiocinata distin-
cta sufficere probatum est tract. primo libri supe-
rioris. Si secundum: ergo à visione Petri, & vi-
sione Pauli eodem modo tendentibus ratio specifi-
ca visionis Dei de homine poterit abstrahi: siqui-
dem ratio illa abstracta ideo generica, non specifi-
ca esse deberet, quia visio Dei de Petro in alias vi-
siones omnino similes esset vltèrius diuidua, sicut
de vnione humana comparatione vnionis Petri, &
vnionis Pauli supra philosophati sumus tract. de se-
cundo prædicabili: sed visio Dei de Petro in alias
omnino similes indiuidua est, si secundum illud
eligatur.

Iam de differentia id ipsum suadeo, quia differen-
tia indiuiduè comitatur genus, eique semper adia-
cet; at de Deo genus, ergo & differentia prædica-
tur. Deinde cui acci- dens physicum conuenit, ei ac-
ci- dens logicum quintum prædicabile conuenire po-
test, vt intuenti perspicuum erit: cui ergo conue-
nit differentia physica, eidem differentia logica, quæ
est tertium prædicabile conueniet: quando igitur
Deus omnium confessione physicè, & realiter differt
à creatura ei differentia logica non poterit non con-
uenire.

Proprium autem quartum prædicabile de Deo di-
ci posse in hunc modum ostendo: Omnis ratio spe-
cifica proprietates aliquas strictè sumptas, saltem à
se